



Z. n. 18.

320
20



18. iij.

Q. D. B. V.

**FESTI
PENTECOSTES**

*ORIGINEM
EX HEBRÆORUM PARITER ET CHRISTIANORUM
HISTORIA ANTIQUA
REPETENS
AD*

ORATIONEM

*FESTIVAM ET SOLEMNEM
IN
TEMPLO*

ILLUSTRIS AUGUSTEI

*FERIA PRIMA HORA XII.
AUDIENDAM*

**ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-
STROS, UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES ET LI-
TERATOS OMNES**

*UT ET
CIVES ILL. AUGUSTEI
HUMANISSIME AMANTISSIMEQUE
INVITAT*

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS, TH, B.,
*CONSIL. SAXO-QUERF., ILL. AUGUSTEI
RECTOR ET P. P.*





Inter præcipua V. T. Festa Pentecostes Festum à Deo ipso institutum legitur Exod. 23, 16. Lev. 23, 16. Varia hujus Festi nomina annotantur. Dicitur יָמֵי שְׁבִיעִים *Festum Septimanarum* Lev. 23, 15. Scilicet VII. septimane inde à secundo Paschatos die XVI. Nisan, quem expresse nominat Scriptor antiquitatum Judaicarum *Josephus* l. 3. c. 10. p. 93. numerandæ erant ex Dei mandato, quæ conficiebant dies XLIX, & dies L. festus erat. Vocatur & יָמֵי הַקָּצִיר *Festum messis* Exod. 23, 16., non quod messis ab hoc festo initium ceperit, quod scribit *Abarbenel* aliique ex Christianis, ut *Junius* & *Tremellius* ad Exod. 23. *Leusdemius* in Philol. Mixto diss. 39. p. 293. *Dietericus* Antiqu. Bibl. &c., sed quod in fine triticæ messis celebratum hoc Festum fuerit: non enim verosimile est, messem hordei, quæ incipiebat in Festo Paschatos, distare potuisse à messe tritici integris septem hebdomadibus. V. *Schweigerus* in Itin. l. 3. c. 35., & certo tantum casu fieri potuit, quod ex *Hieronymo* adduxit *Fullerus* in Miscell. l. 3. c. 11. Apellatur etiam יָמֵי בְּכֹרִים *dies primitiarum* Num. 28, 26. item יָמֵי הַקָּצִיר *Festum messis primitivorum laboris tui* Exod. 23, 16. Idem Judæis quoque dicitur עֵשֶׂר־הַיָּמִים quasi *clausula VII. hebdomadum* in die Quinquagesimo Festo. Hinc ergo in Græcitate *Πεντεκοστής* *Quinquagesima* nomen ortum est, & per Acta Apostolica in Ecclesiâ Christianam translatum V. Act. 2, 1, 20, 16. conf. 1. Cor. 16, 8. ut alia jam nomina hujus Festi mittam. Quæ vero olim causâ ac ratio fuerit instituti hujus Festi, opus porro erit, ut indagemus. Commentatores librorum Mosis & antiquitatum Scrutatores communiter duas consignare solent causas Festi hujus à Deo ordinati. Prima est ut memoria Legis in monte Sinai datæ servaretur & celebraretur: altera, ut gratiæ agerentur Deo pro frugibus & finita messe. Prior ratio acceptatur à plerisque omnibus antiquis pariter & modernis Doctoribus & Philologis V. *Athanasius* T. 1. Opp. p. 330. *Augustinus* qu. 70. *Hieronymus* ad Fabiol. it. *Maimon* More Neb. P. 3. c. 43. *Cosri* P. 3. c. 10. *Buxtorf* Synag. Jud. c. 20. *Thummin* de Festis p. 139. *Melch. Leidecker* de Rep. Hebr. l. 9. c. 5. p. 556. &c. Sed hæc non plane expressa est ratio in Scripturis S. Hinc sæpe in dubium fuit vocata & à Judæis V. *Abarbenel* ad l. c. & à Christianis V. *Franzius* de Interpr. SS. p. 1105. & *Affelmann*. P. 1. Syntsgm. p. 396. Et *Mæbius* disp. Theol. p. 922. ait: *sententia hæc est falsa. Nam cum lex in monte Sinai promulgata fuit Exod. XX. Pentecoste divinitus nondum erat instituta, neque de ea celebranda quicquam Israelitis innotuit, nisi ad minimum post 30. à promulgato decalogo dies, quod diligens textus apud Moysen in Exodo, Levitico, Num. & Deut. consideratio docebit.* Vindicare tamen communiorem illam Doctorum Judæorum & Christianorum sententiam studuit *Lundius* l. 5. c. 16. p. 1018. Nihilominus altera ratio de offerendis primitiis & gratiis agendis pro acceptis in messe frugibus planior est Exod. 23, 16. Deinde servabis *Festum messis primitiarum operum tuorum, quæ seminaveris in agro* & collectionis ultima in exitu anni cum colliges ultimum opera tua ex agro; & c. 34, 22. *Festum etiam septimanarum facies tibi, tempore primitiarum messis tritici.* Postquam enim messis ultima tritici fuit finita, primitiæ Deo fuerunt offerendæ & agendæ pro frugibus gratiæ. Scilicet erat dies Pentecostes Sabbaticus & solennis congregationis, quo comparere debebant Israelitæ haut vacuis loculis sed cum fru-

fructuum primitiis, unicus tamen festus dies tantum habebatur. Hoc die
 חמשה עשר nova ex similagine triticea oblatio erat offerenda Deo, panes item triticej
 ex duabus decimis farinae erant adducendi ad Deum ut motirentur & agitentur à Sa-
 cerdote, haut secus ac spicae hordeaceae in Festo Paschali. Hinc dicuntur: לחם תרפוח
 שנים duo panes agitationis, an esse debuerint fermentati an azymi quarunt antiquita-
 tum Judaicarum Studiosi: ἄζυμος fuisse scribit G. Momma Oecon. l. ii, 2. fermentatos
 defendit Reizsus in notis ad Godvv. M. & A. l. 3, c. 5. VVilletus & Toftatus Com. in Lev.
 nec non Leideckerus de Rep. Hebr. l. 5, c. 5 p. 555. Nec obflare judicant Lev. 2, ii, cum
 alia ratio שלמים sacrificiorum laudis, ad quae pertinere hi ipsi duo panes primitiarum
 Lev. 7, 13, conf. Philo tr. de Festis p. 102. His quippe panibus sacrabatur omnis panis,
 quo Israelitae cum fermento quotidie vescerentur Vid. Leidecker l. c. Ipsa vero mota-
 tio & agitatio תרפוח & תרומה Hebraeis dicta, hoc more modoque fiebat, scilicet
 תרומה exaltando sursum & deorsum: & תרפוח agitando antrorsum & retrorsum, ac fini-
 storsum à septentrione ad Meridiem, & ab Oriente in Occasum, in quo ritu infimul eruc-
 cis figura memorabilis fuit. V. VVagen Var. Sacr. p. 151. VVagenes in Sora & ex eo
 Buxtorfius in Catalectis p. 116., quodque cum aliter non potuerit peractum fuit in Levitis
 motandis & agitandis descensione & ascensione, ita & reditu. Cujus agitationis ves-
 tigia quaedam adhuc extare apud Judaeos in eo observavit Isingius apud Saubertum de
 Sacrificiis Veterum p. 472. quod Synagogis exituri retrocedant corpusque motitent
 communiturantes: וְעַל כָּל יִשְׂרָאֵל אֵמֵן qui facit pacem in excessis suis ipse faciat pacem super nos & super univ. sum Israel Amen,
 qua precatione toti Mundo placari Deum censent. Praeterea cum duobus hisce panibus
 offerendi erant septem agni anniculi, juveneus unus vel duo, duoque arietes; his addi
 debebat hircus לחטאת ad sacrificium pro peccato, duoque agni ad sacrificium תרומה
 suorum cui jungebatur mixta oleo & sueto libamine, non omnibus sacrificiis quotidia-
 nis. Haec facies Pentecostes veteris fuit in prima sua origine, & florente Republ. Hebraeo-
 rum, cujus apud modernos Judaeos non nisi nomen superat cum ceremoniis assumpti-
 tiis. Tempus in VII. septimanis exacte supputant & dies quotidie, pridie Pentecostes
 nemo sibi venam fecari patitur, quod hac die noxius ventus in deserto flaverit, qui כבש
 dici meretur i. e. mactator & carnifex, at depulsus lege mox data, per biduum feriantur,
 bis librum legis ex arca promunt & concionantur in laudem legis; legunt libellum Ruth,
 quod illius historia tempore Mesis triticeae contigerit. Porro in honorem legis Domos,
 plateas, scholas herbis virentibus sternunt, fenestras ornant floribus, corollas virides ca-
 pitum imponunt, cibos ex lacte edunt, ut puritatem & dulcedinem legis sibi representent,
 ut ex Judaeorum Ritualibus discitur, conf. Leidecker l. c. Non autem in N. T. omnis Ve-
 teris Pentecostes ratio abrogata censeri debet, utut quae propria V. T. fuerit & ad loci
 circumstantias pertinere, abolita sint, & praesente corpore umbræ cessaverint. Col. 2, 16.
 Ista enim moralis gratiarum actio sive pro data lege sive pro frugibus finita messe non ces-
 sare debuit, & loco typicæ accessit praeterea in N. T. consideratio antitypica primitia-
 rum Spiritus S. effusarum largiter hoc die super Apostolos, nec super illos solum sed
 credentes in I. C. omnes in hunc usque diem. Hinc primi Christiani ex synagoga egressi
 Festum hoc ad spiritualem laetitiam & gaudium mesis caelestium bonorum in Refurrex-
 tione, ascensione in caelos & missione solenni Spiritus S. declaratorum, traduxerunt.
 Et mentio Festi Pentecostes à Christianis memorati occurrit in S. Literis Act. 2, 1.
 10, 16. & 1, Cor. 16, 8. & apud Tertullianum libr. ad Uxorem & libr. de Corona militis

c. 3. &c. Non autem tam arctis Pentecosten circumscriperunt Veteres Christiani limitibus trium dierum, sed longe latius Pentecosten seu quinquagesimæ nomine complexi sunt omne tempus, quod à die Resurrectionis fluxit usque ad diem ipsum Quinquagesimum, sc. quinquaginta dies integros, quorum ultimus tandem solus retinuit illud nomen Pentecosten. *Tempus Pentecosten*, inquit *du Fresne* in Glossario inchoatur à primo die Resurrectionis & currit usque ad diem quinquagesimum post Pascha. Conf. *Isidorus* l. 1. de off. Eccl. c. 32. Hinc *Tertullianus* l. de Idololatria c. 14. scribit: *excerpe singulas solemnitates nationum & in ordinem lege, PENTECOSTEN* (i. e. 50. dies) *implere non poterunt.* Sic *Patres Nicæni* exponunt Pentecosten dies, qui intersunt inter Pascha & Pentecosten, quia hi omnes sunt dies festi, in quibus Christus cum discipulis suis conuersatus sit post resurrectionem. Eadem nobis tradit *Ambrosius* Serm. 61. T. 3. Opp. p. 266. Ex quibus patet quod à prima Christianismi ætate statim horum quinquaginta dierum festiuitatem secuti sint Veteres Christiani & sub Quinquagesimæ nomine & sub nomine Pentecosten. Hoc vero adhæsit peculiariter dierum complemento, sub illo tamen discrimine quod inter Ecclesiam orientalem & occ. fuit de Paschate, siue cum Judæis XIV. Nisan celebrato siue in die Dominico. Factum autem postea est, ut decrefcente primæ ætatis fervore, Pentecosten feriatio ad septem dies reuocata fuerit quod seculo VII. contigisse putatur, ac tandem ad tres dies quod seculo XI. in Concilio à Constantiensi Episcopo constitutum esse annotatur. Vid. *Joach. Hildebrandus* de Sacris Publ. Id præterea studuerunt Veteres Christiani ut hoc Festum in sanctitate & lætitia transigerent, abstinebant proinde à mœnore, à jejuniis, à genuflexionibus; & tantum lætis cantionibus indulgebant, suo Alleluja Deum laudabant, & Sacramentorum usu delectabantur in Sacra Coena & Baptismo, eorumque distributione & administratione. His ergo & nos hoc Festo delectabimur & lætabimur in Spiritu S. ejusque uberrimis donis & beneficiis. Nitidissima oratione ad hoc nos excitabit *Juuenis Nobilissimus ac Politissimus nec non eruditione cæterisque animi dotibus, ac pietate inprimis mirumque jucunditate Ornatissimus DN. CAROLUS AUGUSTUS JUSTUS, J. U.* Studiosus indefessus, in qua pro solemnitate hujus Festi quod Spiritui S. sacrum est, nobis Spiritum S. in Liliis candidissimis gratia imagine depinget. Quapropter Illustres Aula Serenissimi & Ministros, Utriusque Reipubl. Proceres & literarum Cultores nec non Illustres Augusti Cives rogatos cupimus enixissime humanissimeque, ut Politissimum hunc Juuenem pie ac crudite verba facientem H. L. Q. C. benigne audire, & præsentia sua hanc sacram Pancgyrin solenniorem reddere ne grauentur ne dedignentur. P. P.
Dominica Exaudi A, M DCC XXII.

LEYCOPETRÆ,

Litteris G. A, Legii, Aul. & Aug. Typogr,

N^o 885.
400

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.





Q. D. B. V.

FESTI PENTECOSTES

ORIGINEM

EX HEBRÆORUM PARITER ET CHRISTIANORUM
HISTORIA ANTIQUA

REPETENS

AD

ORATIONEM

FESTIVAM ET SOLENNEM

IN

TEMPLO

ILLUSTRIS AUGUSTEI

FERIA PRIMA HORA XII.

AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-
STROS, UTRIVSQUE REIPUBL. PROCERES ET LI-
TERATOS OMNES

UT ET

CIVES ILL. AUGUSTEI

HUMANISSIME AMANTISSIMEQUE

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.

CONSIL. SAXO-QUERF., ILL. AUGUSTEI

RECTOR ET P. P.

